



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXIV. De Versibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

TITULUS XXIV.

DE VERSIBVS.

I. **V**ersus *k.* semper dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum & Antiphonam Nocturnorum, sive in Officio dicuntur tres Nocturni, sive unus. Ad Laudes & Vesperas Versus dicitur post Hymnum: ad Horas dicitur in Responsorio brevi post repetitionem partis Responsorij, dicto *Gloria Patri.*

k. A vertendo dictus, quia olim illum Cantantes ad Orientem vel Altare se vertebant; nunc autem adhibetur, ut per illum, dum surgimus, ad Orationem, Absolutionem, & Lectiones ferventius dicendas excitemur, ait Gavantus f. 5. c. 10. n. 2.

II. In Pascha Resurrectionis, & per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, in Nocturno tantum dicitur Versus, in alijs Horis non dicitur, ut ibidem. *l.*

l. Quia tanta est festivitas cum brevitate conjuncta, ut stimulis non egeamus, Gavant. l. c. n. 3.

III. Quando fit aliqua commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Vesperarum & Laudum, nisi aliter notetur.

IV. Versibus prædictis tempore Paschali semper additur *Alleluia*: non autem Versibus Precum, *m.* nec in *Pretiosa* ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini. *n.*

m. Quia in illis potius attenditur ratio humilitatis & mœroris, quàm lætitiæ.

n. Quia non terminant Responsorium, nec sunt Versus ad excitandum, ut *ij*, de quibus in hoc capite agitur.

V. In

V. In Officio Festi trium Lectionum post omnes Psalmos Ferialès cum Antiphonis dicitur Versus de Comuni Sanctorum, hoc ordine: Feriâ secundi & quintâ Versus primi Nocturni: Feriâ tertiâ & sextâ Versus secundi Nocturni: Feriâ quartâ Versus tertij Nocturni. o.

o. Qui tamen in singulis Ferijs post Versiculos Feria diligenter notari sunt.

VI. Versus positi in Psalterio ad Laudes & Vesperas semper dicuntur, quando alij proprij non assignantur in Proprio de Tempore.

TITULUS XXV.

DE ABSOLUTIONIBVS ET BENEDICTIONIBVS.

I. **A**bsolutiones p. & Benedictiones dicuntur per Ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet post Versum dicto: *Pater noster. Et ne nos.* dicitur Absolutio & Benedictiones, ut ibi: præterquam in Matutinis tenebrarum q. majoris Hebdomadæ, & in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio & Benedictiones non dicuntur.

P. Absolutiones putat vocari Gavantus l. 5. c. 11. n. 1. vel quia absolvitur Nocturnum: vel quia simul cum Oratione præcedenti petimus mundari corda, & corpora nostra ad audiendum Verbum DEI in Lectionibus. Vel, quia, ut Rupertus l. 1. c. 11. putat, rogamus Dominum Messis, ut mittat Operarios in Messem suam, & aperiat cor nostrum in Lege sua, ne semen, id est, Verbum DEI, quod audituri sumus in Lectionibus, aut volucres, id est, mali Genij, comedant, aut spinæ noxiarum cogitationum suffocent, aut in petra duræ cordis, quæ non habet humorem, non crescat: Vel quia in tertia Absolutione, à qua tanquam nobiliori reliquæ denominantur, à vinculis peccatorum absolvi petimus.